4

ORATIO DE FILII DEI ET HOMINIS, DOMINI ET Redemtoris nostri IESV CHRISTI, præsentia in Ecclesia sua, & Ministerio Sacramentorum: De communicatione Idiomatum: De DVPLICI manducatione Corporis, & bibitione Sanguinis CHRISTI in S. Cœna, quæ in his terris ritè peragitur.

Ex dicto Christi Matth. 28. EGO vobiscum sum vsq; ad consummationem Seculi, omnibus diebus:

Habita

In inclyta vrbis Rosarum Academia, de more Scholarum. 14. Kal. Iunij. Anno 1573.

A

MENTONE GOGREFEN à Luppfurt, Sicambro, S.S. Theol, d. D. Illustri D. Iohanni Ruebern à Concionibus sacris.

Ad calcem loco corollarij, vberiorisq; Confessionis ergô, adiecta est sententia, breuis, & Fidei analoga, de pernecessaria distinctione, inter hominis corrupti Substantiam, seu Naturam, & inter peccatum Originis.



Vm Confeſsionem meam de præſentia Filij Dei, domini & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti in Eccleſia & miniſterio Sacramentorum hoc loco edere; Ideoque dulciſsimam promiſsionem & conſolationem à Chriſto Matth. vigeſimo octauo Eccleſiæ traditam: Ecce Ego vobiſcum SVM, vſque ad conſummationem ſeculi omnibus diebꝰ, pro mea tenuitate enarrare in hoc congreſſu publico à Reuerendo & Spectabili domino Decano iubear: initio meę orationis FILIVM Dei ſummum Doctorem & patronum, cuſtodem & Regem noſtrum Ieſum Chriſtum, quem verū DEVM & HOMINEM ac fratrem noſtrum, huic honeſtiſsimo cœtui Scholaſtico præſentem intereſſe & præeſſe non dubito, ſicut ipſe dixit: Vbicunq; duo aut tres

cōgregati ſunt in nomine meo, in medio eorum ſum: toto pectore precor, vt hos pulcherrimos cœtus, in quibus vera de ipſo doctrina & Confeſsio ſonat & propagatur, clementiſsimè ſeruet & protegat, & nos infantes balbutientes, qui Teſtimonium de ipſo verum in genere humano aduerſus Filij Dei hoſtes diabolos & ipſorum organa, epicureos & alios blaſphemos dicere conſtanter iubemur, doceat & confirmet, & nunc mei de ipſo dicturi mentem & linguam gubernet, vt vera, ipſi grata, & mihi & alijs ſalutaria dicam. Nec prolixè meam imperitiam aut infantiam, quæ etiam me tacente omnibus alioqui nota eſt, excuſabo. Etſi enim de re tanta, præſertim controuerſijs multorum fidem & Eccleſiæ concordiam horribiliter turbantibus, implicata, ſuperiorum graduum Doctores in ſpecula Eccleſiæ collocatos audire

dire

dire malim: tamen cũ ad reddendam omni petenti de ea, quæ in nobis eſt, fide & ſpe, cum manſuetudine & reuerentia rationem parati eſſe debeamus, & ſcholæ leges ac officium obedientię legibus & præceptoribus debitum, hanc dicendi neceſsitatem mihi imponant, reuerenter parere decreui, pręſertim cum in veteri etiam Eccleſia & Synagogis hic ordo ſeruatus ſit, vt plures ſuo loco, ordinè, grauiter & modeſtè dicerent, & de quæſtionibus ſubinde incidentibus ſententias conferrẽt, & ſedentes, vt Paulus nominat, Seniores & cæteri pij delecti, & idonei iudicarent. Vtinam vero nunc quoque de rebus grauiſsimis in Eccleſia motis amanter & placidè colloqui, & conferre inter ſe eruditi & pij doctores velint, & controuerſias multorum fidem labefactantes, & Religionem noſtram ludibrio aduerſarijs exponentes, tan-

dem diiudicent & præcidant, ſed hoc infelici ſeculo mundi fatiſcentis & fatui, ſeu potius furioſa voluntatum diſtractione & peruerſitate, vix inter eiuſdem Eccleſiæ & Scholæ collegas in eodem oppido tantum beneuolentiæ & fidei mutuæ eſt, vt apertè & candidè inter ſe conferre de rebus neceſſarijs audeant: Cum pietatem & ſapientiam præ ſe ferant plerique hoc vno, quod alios impietatis condemnent, & obſeruent alij aliorum errata & calamitates, non vt condoleant, ſed vt exprobrent: non vt ſanent, ſed vt contumelioſé obijciant, & aliorum vulneribus & næuis exaggeratis, ſcelera tegant & defendant ſua, ſicut Nazianzenum de ſuæ ętatis miſerijs grauiſsime conqueri meminiſtis, ſed relicta hac quamuis iuſtiſsima querela, conſolationem potius à Filio Dei domino noſtro IESV CHRISTO reſuſcitato ex morte, &

paulò

paulò ante Aſcenſionem in cœlum re
petente inſtitutionem Miniſterij E
uangelij Matthæi 28. de qua dicere i
præſentia iuſſus ſum, audiamus. Dat
eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & ter
ra, Ite igitur & docete omnes gentes
baptizantes eos in nomine Patris & F
lij & Spiritus ſancti, docentes eos ſer
uare quæ præcepi vobis; & ecce Eg
vobiſcum SVM omnibus diebus vſq
ad conſumationem ſeculi. Cum enim
Filius Dei finem facturus viſibilis co
ſuetudinis & familiaritatis cum Apo
ſtolis in his terris, denuò mandata d
propagando Euangelio, & colligend
Deo per Miniſteriũ verbi & Sacramen
torũ Eccleſia ęterna ex omnib9 gentib
repeteret: prę munit & confirmat Ap
ſtolos & õnes miniſtros, difficultaten
& picula huius legationis conſideran
tes & ſollicitos, quib9 rationibus & au
xilijs aduerſante omnem diabolorum

Tyrannorum in mundo ſapientia & potentia docere Euangelion, & colligere ac retinere Eccleſiam poſsint: Adfirmans ſibi Meſsiæ, Domino & Redemtori ac Regi eccleſiæ omnem poteſtatem in cœlo & terra datam eſſe, ſe omnibus creaturis potentiorem, verũ ac omnipotentem DEVM & HOMINEM, nõ in cœlo ſolum omnipotentia ſua & gloria fruiturum eſſe, ſed verè etiam in his terris perpetuò adeſſe Miniſterio Apoſtolorum, & per illud diuina potentia efficacem eſſe, deſtruere peccatum & mortem, reſtituere iuſtitiam & vitam æternam, ſe colligere & ſeruare in hac vita Eccleſiam, & reprimere potentiam & furorem diaboli & mundi, & poſtea æterna gloria Eccleſiam ornaturum eſſe. Magno igitur & excelſo animo, confiſi huius noſtri Ducis & cuſtodis omnipotentis potentia & auxilio, doceamus & propagemus

gemus Euangelion, & pericula ac impreſsiones hoſtiles, ab hoc Imperatore noſtro omnipotente auerti à nobis & depelli ſciamus. Non enim poſſet genus humanum, ac præcipuè imbecillum Eccleſiæ agmen, vnum diem manere incolume, niſi Filius Dominus & frater noſter IESVS CHRISTVS, data ſibi omni poteſtate, in his terris pręſens, contra diaboli potentiam & mundi totius furores, illud protegeret & ſeruaret. Cum autem ideo potentiam & præſentiam in Eccleſia ſuam Chriſtus hoc in loco alleget, vt nobis auxilium & conſolationem promittat, ac vt nos in tanta varietate periculorum priuatorum & publicorum ab ipſo auxilium petamus & expectemus; Nunc quoque harum promiſsionum & conſolationum cogitatione fidem & inuocationem in nobis exuſcitemus, & petamus ardenter, vt nunc quoque o-

 mnipo-

mnipotentiam & præſentiam ſuam in defenſione veræ doctrinæ & piorum ſtudiorum declaret. Veſpera iam venit nobiſcum Chriſte maneto. Extingui lucem nec patiare tuam. Defende & ſerua Eccleſiam Chriſte fili Dei viui, Emanuel & frater noſter, quæ vndique oppugnatur & deformatur, nō tantum à diabolis & Turcis, (qui quotidie latiꝰ graſſantur,) & tyrannidis Idolorum Pontificiorum defenſoribus, qui acerbiſsimis odijs aduerſus pios ardent, eoſq́; crudeliter trucidant, verumetiam varijs diſsidijs & ſcandalis à noſtra infirmitate ortis, cum multi doctores ipſi priuatis & ambitioſis certaminibꝰ Eccleſiam dilacerant, ac diſtractiones vulnerum, quæ ſanare debebant, maiores ipſi faciunt. Quid in his ſpectaculis cogitare aliud humana ratio poteſt, niſi paulò poſt veram doctrinam in his Eccleſijs ſonantem, & ſtudia huius do-

ctrinæ

ctrinæ funditus interituram esse, sicut in Asia & Africa CHRISTI doctrina deleta, Mahumetici furores iam multis seculis grassati sunt?

Itaque vt aliarum rerum humanarum instabiles & perpetuæ vices sunt: sic Religiones quoq; nunquam diu in eodem statu permanere sapientes existimant, sed subinde alias extingui, & oriri alias. Cum tenerent Chaldæi imperium Babylonicum, celebrabatur ibi Belus. Deinde Alexandri Magni victoria Iouem Olympium inuexit. Postea Euangelio per Apostolos propagato, Christi religio aliquãtisper mansit. At prouincijs illis per Saracenos occupatis præcipua sedes blasphemiæ Mahometicæ in Babylone collocata fuit. Ita res ipsa nostris etiam temporib⁹ ostendit mutationes imperiorum, Religionis quoq; & Ecclesiarum mutationem secum trahere. His specta-

culis

culis mouentur multi, vt exiſtiment omnes religiones pariter eſſe RVMORES vacuos, verbaq́ue inania, & parem ſollicito fabulam ſomnio: Et Chriſti doctrinam, vt gentiũ delyria, interire.

Præuidens igitur Chriſtus acerrimè pugnare diabolum turbantem imperia, Eccleſias, dogmata, & triſtiſsimas in toto genere humano confuſiones efficientem, præcipuè hoc conſilio, vt deleat totam Eccleſiam Dei, huic tanto periculo opponit hanc promiſsionem & conſolationem: Ecce Ego omnipotens conditor & conſeruator Eccleſiæ, Filius Dei, redemtor & frater veſter VOBISCVM SVM præſens, diligo, curo, defendo, iuuo & ſeruo Eccleſiam, & vos in ea, ne ab vllis inferorum portis euerti aut labefactari queat. Etſi enim viſibili ſpecie non amplius verſabor vobiſcum: tamen reuera ſemꝑ vobis adſum, aderoq́; in omni æternitate:

ternitate: Sicut ab initio Eccleſiæ ſemper generi humano adfui, & Eccleſiam aduerſus ſimiles mundi furores mirabiliter defendi. Recepi primos parentes enarrata ipſis promiſsione de ſemine contrituro caput diaboli: ſedi ad clauum in arca Nohæ, cum tota Eccleſia funditus extincta videretur. Fui conuiua Abrahæ, qui cum videret diem meum, lætatus eſt. Oſtendi me Iacobo in illa ipſa facie naturæ humanæ, quam poſtea aſſumturus eram. Apparui Moyſi in rubo, mirabiliter ſeruaui & auxi Eccleſiam ſub Pharaone, comitatus ſum Iſraëlitas in deſerto. Aſpexi Dauidem in forma hominis, qui ſum Iehoua in excelſis, de quo inquit Dauid: Oſculamini filium Dei, Beati omnes qui confidūt in eo: & Salomon: Quod eſt nomen Dei aut filij ipſius? Verbum Dei clypeus ſperantium in ſe. Ego adflaui & rexi omnes Prophetas.

Seruaui Ecclesiam in exilio Babylonico, eamque restitui. Denique cum expletum est tempus à Deo definitum, adsumpta humana natura, caro factus sum, & palàm ac visibiliter inter vos habitaui ac conuersatus sum. Nunc visibilem consuetudinem vsq; ad finem mundi depositurus, nihilominus vobis V B Iq; præsens adero, vos curabo, defendam, iuuabo, & ex omnibus periculis & morte ipsa liberatos in cœlum transferam, vbi in omni ęternitate vobiscum ero, & meo conspectu, luce, sapientia, iustitia, vita & gloria diuina vos complebo. Hanc dulcissimam promissionem & consolationem in dicto Christi, Ecce Ego V O B I S C V M S V M vsque ad consummationem seculi, attentè considerare, & in tantis periculis & confusionib9 Ecclesiæ, humano consilio inextricabilibus F I D E M statuentem certò à Filio Dei duce & pro-

tectore

tectore noſtro omnipotente ſeruari,
reſtitui, & regi Eccleſiam, harum pro-
miſsionum cogitatione confirmari:
& inuocationem accendere: & in pe-
riculis ac ærumnis Chriſtiana manſue-
tudine & patientia oſtendere ſe in præ
ſentia Filij Dei placidè adquieſcere,
atque ita hanc promiſsionem & con-
ſolationem pijs nectare & melle ſuaui
orem ad vſum transferre, multo vtiliꝰ
eſt, quàm de modo præſentiæ & com-
municatione Idiomatum, de quo nec
veterum patrum, nec recentiorum ſcri
pta ſatis conueniunt, prophanas diſpu
tationes & rixas, à quibus magno cum
dolore FILIVS Dei longiſsimè ab-
eſt, mouere, & ea perueſtigare, quæ, vt
Auguſtinus inquit, vix fortaſſè à man-
ſuetè quærentibꝰ, à contentioſe autem
certantibus nunquam inuenientur.
Sed quia confeſsionem edere etiam de
hoc certamine iubeor, palàm profite-
or, me

or, me etſi inuitus in hoc certamen antea pertractus docui & ſcripſi, idq́; adhuc verè ſentio & confiteor, VBIQVITATEM illam, qua humana natura Chriſti, eodem modo, quo DIVINITAS per ſe VBIq; atque adeo infinita eſſe, vel inſtar alutæ, extenſa, & vbiq; diffuſa creditur, in ſacris literis FVNDAMENTA non habere, & doctrinam de vera præſentia corporis Chriſti in terra ex verbis inſtitutionis cœnæ præcipuè ſumendam eſſe, Tamen palàm, vt dixi, profiteor, me vero corde credere, & ore confiteri, FILIVM DEI DOMINVM noſtrum IESVM CHRISTVM verũ DEVM & Hominem ex duabus & in duab9 naturis ſubſiſtentem, cui omnis poteſtas in cœlo & terris data eſt, verè & totum vbique præſentem eſſe, ac vt clarius & ſine vlla ambiguitate dicam, credo Chriſti carnem non tantum in cœlo, verum-

etiam

etiam in terris vbique, ac multo magis vbicunque cœna celebratur, verè adeſſe, non quidem per ſeſe & abſolutè extra Chriſti perſonam; ſed quatenus cum verbo FILIO Dei, qui vbique eſt, & in cœna præſertim noſtræ ſalutis cauſa ſeipſum ſiſtit, hypoſtaticè vnita eſt. Hæc ſi nimis fortaſſe breuiter alicui comprehenſa eſſe videbuntur: paulò vberiorem declarationem adiungam. Etſi enim hæc myſteria verè ἄῤῥητα & humanæ rationi imperueſtigabilia futuræ illi & æternæ Academiæ, in qua arcanum conſilium de Redemtione, & modũ mirandæ ἑνώσεως καὶ κοινωνίας ἰδιωμάτων diuinæ & humanæ in Chriſto naturæ coràm cernemus, integrè explicanda relinqui deberent: Tamen cum arx & caput Religionis Chriſtianæ & totius fidei ac ſalutis noſtræ fundamentum vnicum & immotum ſit DOMINVS

& redemtor noſter IESVS CHRI-
STVS, in cuius perſonæ & officij ag-
nitione æterna vita, & beatitudo o-
mniũ piorum poſita eſt: neceſſe eſt i-
nitia eius doctrinę in verbo Dei tradi-
ta fideliter à nobis diſci & retineri.

Credo itaque & confiteor cum ſan-
cta œcumenica ſynodo Chalcedonen-
ſi, vnigenitum Filium Dei Dominum
noſtrum IESVM CHRISTVM ante
ſecula quidem de Patre genitum ſe-
cundum diuinitatem; in nouiſsimis
autem diebus eũdem propter ſalutem
noſtram ex Maria virgine natum, ſe-
cundum humanitatem, vnum eundem
Chriſtum, Filium, dominum vnigeni-
tum, ex duabus & in duabus naturis, di
uina & humana ἀσυγχύτως ἀτρέ-
πτως, ἀδιαιρετως, ἀχωρίστως,
hoc eſt, inconfuſé, immutabiliter, in-
diuiſé, & inſeparabiliter agnoſcen-
dum, NVSQVAM SVBLATA dif-

ferentia

ferentia NATVRARVM, propter v-
nionem, sed magis salua proprietate
VTRIVSq; NATVRAE, & in vnam
personam atque existentiam concur-
rente. Quandoquidem non conuersi-
one diuinitatis in carnem, nec carnis
in diuinitatem; sed assumtione Hu-
manitatis in DEVM, non confusione
aut transfusione substantiæ, aut vnius
tertiæ naturæ compositione, sed vni-
tate personæ seu ὑποστάσεως, VNVS
est manetque CHRISTVS in duabus
consistens naturis.

Hanc mirandam copulationem du-
arum naturarum in Filij Dei hyposta-
si factam, ita vt secunda PERSONA
Diuinitatis seu Filius Dei LOGOS &
humana natura in vtero Mariæ virgi-
nis assumta, vnam tantum personam,
seu vnum indiuiduum CHRISTVM
constituant: In scholis nominant vni-
onem Hypostaticam seu personalem.

Propter quam proprietates etiam omnes, & actiones & paſsiones, quæ alteri tantum naturæ originaliter congruunt, toti perſonę Chriſti in concreto verè communicantur, ſicut tota ſcriptura proprietates & actiones non ſingulis naturis ſeorſim in abſtracto, ſed toti perſonæ filij Dei IESV CHRISTI in concreto tribuit. Eſtq́; non Grammatica tantum Idiomatum communicatio in perſona Chriſti. Cum enim eadem ſit Hypoſtaſis vtriuſque naturæ, attributa vni & eidem perſonæ Chriſti conueniunt, nec alia quàm vera communicatio Idiomatum in perſona Chriſti eſſe poteſt. Ab eo enim, quod res eſt, vel non eſt, oratio vera aut falſa dicitur. Quòd ſi non verè vtriuſq; naturæ proprietas perſonæ tribuitur, vera prędicatio eſſe non poteſt. In multorum ore iam verſantur appellationes Dialecticæ & Phyſicæ com-

munica-

municationis Idiomatum, quas ego quidem nuſpiam vſurpari & defendi à quoquam hactenus legi.

Sed tamen diſtinctionem inter Idiomata ſeu attributa diuinæ naturæ aſſumentis, & humanæ naturæ aſſumtæ diligentiſsimè orthodoxa antiquitas conſeruauit. de quo in formula cõcordiæ Cyrilli & patriarchæ Antiocheni dicitur; DEVS VERBVM ea quę diuina ſunt, contulit aſſumtæ naturæ; eorũ autem quę humana ſunt, nihil accepit. Et apud Damaſcenũ, qui copioſè hanc doctrinam illuſtrauit lib. 3. Diuinitas ipſa quidem proprias glorificationes carni communicauit, ipſa verò manet ἀμέτοχος expers paſsionũ carnis. Et apud Euſebium: DEVS VERBVM ea quæ ſua, ſeu diuina ſunt communicauit homini: Ea verò, quæ mortalis naturæ propria ſunt, non recepit, & diuinam quidem potentiam mortali na-

turæ impertiuit. Non autem viciſsim ad conſortium mortalitatis natura VERBI detracta eſt. Sic Auguſtinus contra Felicianum ait: Iniuria ſui corporis affectam non fateor Deitatem, ſicut Maieſtate Deitatis glorificatam nouimus carnem. Neceſſe eſt enim fateri, multa ſiue dona, ſiue prærogatiuas, ſiue ἀξιώματα, aut proprietates, aut Maieſtatem nominemus, CHRISTO Homini in ſacris literis communicari & reuera tribui, quæ noſtrorum corporum phyſicas proprietates longiſſimè excedunt & ſuperant, videlicet quòd humana natura in Chriſto vera & eadem adoratione cum diuina inuocatur & colitur.

Quòd caro Chriſti per vnionem cũ verbo viuificatrix facta eſt: Quòd particeps & ſocia facta eſt victoriæ & gloriæ Filij Dei in toto opere Redemtionis, in delendo peccato & morte, in re-

ſtituenda

ſtituenda iuſticia & vita ęterna: quò
euecta eſt ad dexteram Dei patris o
mnipotentis, & exaltata ſuper omn
nomen, quod nominatur. Quòd tra
dita eſt ipſi omnis poteſtas in cœlo &
terra: Quòd contra vniuerſæ natura
ordinem natus eſt ex virgine: Quò
penetrauit ianuam clauſam, ambula
uit in mari, aſcendit ſuper omnes cœ
los, & vbique Eccleſiæ præſens adeſt
& communicatione carnis & ſangui
nis ſui in ſacra cœna vbiuis locorun
adminiſtrata corporaliter quoque i
nobis habitat, vt Cyrillum expreſſé l
qui meminimus. Quæ omnia etſi
phyſicis noſtrorum corporum propr
etatibus longiſsimè diſcrepant; tame
Chriſto Homini in ſacris literis ex
preſſé tribui & verè congruere certun
eſt.

Quòd verò ad meam de ſacra cœna
Confeſsionem attinet, breuiter eam

quam iam antea edito ſcripto coram tota eccleſiaChriſti teſtatam feci,repe to. Simpliciter .n. iuxta verba veracis & omnipotentis filij Dei teſtatoris cre do, & ſine omni fuco palàm confiteor, Vbicunq; in his terris cœna dominica iuxta inſtitutionem & mandatum Chriſti ſeruatur & peragitur, non nudum panem & vinum, ſed etiam verũ, viuum, ſubſtantiale, & efficax corpus Ieſu Chriſti, quod pro nobis in mortem tradidit: & verum, viuum, eſſentialem, & efficacem ipſius ſanguinem, pro peccatis noſtris in ara crucis effuſum, verè & realiter præſentem eſſe, ita vt cum pane & vino benedicto, non typicum, vel abſens corpus, vel illius efficacia & beneficia ſolummodo, ſed verè & realiter præſens, nobis, à Chriſto ipſo, per manus miniſtri, exhibeatur, nec tantum ore ſpirituali, ſed etiam ORE corporis percipiatur, non

ſolum

solum à pijs & sanctis, verumetiam ab indignis & hypocritis: A pijs, sanctis, bonis & dignis quidem, ORE, & fide in salutem, ab indignis verò Hypocritis & malis, ORE, ad iudicium & damnationem, iuxta Diui Pauli doctrinam. Hæc inquam hactenus fuit, adhuc est, & in posterum Deo volente & auxiliante, vsq; ad extremum halitum vitæ meæ ærumnosæ, erit & manebit mea fides, doctrina & confessio de sacra synaxi. Nec me ab hac confessione abducit argumentum illud plurimùm in disputationibus horum temporum tractatum, quod velut Gorgonem multi propriæ & natiuæ verborum institutionis cœnæ Domini sententiæ, & veræ ac reali in sacra cœna corporis & sanguinis Christi præsentiæ opponunt. Eius enim pspicua explicatio ex illis, quæ hactenus summa sequens fastigia rerum, recensui, sumi potest. Sic autem

 quidam

quidam opponunt:

Impoſsibile eſt verum & naturale corpus eodem tempore ſimul in pluribus & diuerſis locis, multo minus vbiq; verè & ſubſtantialiter præſens eſſe. Chriſtus verum & naturale corpus humanum, phyſico loco circũſcriptum aſſumſit, quod poſt reſurrectionem viſibiliter in cœlum aſcendit, & ſedet ad dexteram Dei, vnde venturus eſt iudicare viuos & mortuos:

Ergo impoſsibile eſt Chriſtum vero corpore ſuo, quod nunc in cœlo circumſcriptum certo & definito loco, ſedet ad dexteram patris, ſimul eodem tempore in his terris, pluribus & diuerſis in locis, vbi cœna adminiſtratur, præſentem eſſe aliter, quàm per Alleoſin, ſeu Enallagen, ſeu communicationem Idiomatum, ſeu ſynecdochen, vt videlicet Chriſtus filius Dei verè & ſubſtantialiter præſens in cœna dicatur

eſſe

eſſe ſua Diuinitate, non ſecundùm humanam naturam, quæ tam ꝓcul abeſt, quàm cœlum à terra diſtat.

Ad hanc ſpecioſam obiectionem reſpondeo: Primùm, vt notæ Muſicæ valent, quælibet in ſuo ſyſtemate; ita Maiorem, etſi in phyſicis certum ἀξίωμα ſit: tamen in Theologia falſam eſſe, & repugnantem iſti principio doctrinæ & fidei Chriſtianæ: Non eſt impoſsibile apud Deum omne verbũ. Poteſt igitur Deus, quidquid verbo ſuo affirmat & promittit, etiam contra, & ſupra vſitatum naturæ ordinem, certò & reipſa præſtare. Vtrumq; autem in ſuo verbo affirmat CHRISTVS, & ſe verum hominem eſſe, per omnia fratribus ſimilem abſq; peccato, & ſe corpus & ſanguinem ſuum nobis in cœna ſacra verè exhibere. Vtrunque igitur verìſsimum eſſe & certò præſtari, non

dubitamus,

dubitamus, Nec ignotas eſſe ſapientiæ & omnipotentiæ Dei vias & rationes, quibus corpus ſuum, abſque ſubſtantiæ illius interitu ſimul in diuerſis locis cœna vtentibus certò exhibere poſſit. Deinde etiamſi vera eſſet Maior de noſtris corporibus non vnitis Diuinitati omnipotenti, & vbique præſenti, vnione perſonali: tamen Chriſti carnem, quæ vnione hypoſtatica, & indiſſolubili fœdere VERBO omnipotenti iuncta, & ad dexteram Dei ſuper omne nomen, quod nominatur exaltata eſt: multis admirandis & ineffabilib⁹ prærogatiuis & viribus præ alijs humanis corporibus præditam & ornatam eſſe nullum eſt dubium. Vt enim viuificatrix eſt Chriſti caro, & cum λόγω vna adoratione inuocatur & colitur, & pari Maieſtate cum æterno Patre regnans, omnem potentiam in cœlo & in terra obtinet: ita etiam in pluribus

bus & diuersis locis, eodem tempore, iuxta verbum & promissionem suam vbique & verè præsens esse potest.

Deinde ad Minorem respondeo: Ascensionem Christi in cœlos, & sessionem ad dexteram patris non tantum certi loci mutationem esse, vt cũ auicula humi sedens in cacumen arboris, aut turris fastigium euolat, nec tantũ finem visibilis in hoc mundo conuersationis esse, & depositionem infirmitatum, quas in his terris similes cæteris hominibus, solo peccato excepto, circumtulit, verumetiam exaltationem in cœlesti & diuina Maiestate & gloria, significare, qua sedens ad dexteram Dei Patris omnipotentis, Dominus omnium creaturarum, & caput Ecclesiæ suæ, omnia sibi subiecta habet, & omnia in cœlo & terra præsens gubernat, sicut Petrus Actor. 2. hos articulos declarat: Non Dauid ascendit

in cœ-

cœlum. Dicit autem: dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Et Paulus Ephe. 4. Aſcendit ſuper omnes cœlos, vt omnia impleret. & multò illuſtrius cap. 1. Deus collocauit Chriſtum ad dexteram ſuam in cœlo ſuper omnem principatum, poteſtatem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro; Et, omnia ſubiecit ſub pedibus eius: &, ipſum dedit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo ei9, qui omnia in omnibus adimplet. Etſi autem in articulo de cœna Domini rectiſsimùm eſt, fundamenta confirmationis veræ ſententiæ peti ex perſpicuis & diſertis verbis Chriſti veracis & omnipotentis, quibus cœna inſtituta eſt: tamen cum aduerſarij à ſimplicitate verborũ Chriſti ad alias quæſtiones multò ſubtiliores & obſcuriores cauſam abduxerint,


rint, donec appellatione cœli etiam & mansionum cœlestium certa & circum scripta loca, longissimè à terris remota, significari contenderent, vbi Christus etiam cum suo corpore (quod tanto interuallo, quantum cœlum à terra distat, à cœna Domini in his terris administrata abesset) versans, nequaquã in cœna Domini præsens adesset: Necesse est nos his etiam rixis, quantumuis inuitos, temporis aliquid & studij tribuere, quod multò vtilius in materias ad ædificationem verę pietatis, timoris Dei, fidei, inuocationis, obedientię erga Deum & Magistratum, dilectionis & beneficentiæ erga ꝓximum, patientię in cruce vtiles assiduè inculcandas collocatur. Sed maior amplitudo est harũ materiarum, quæ nulli⁹ angeli aut hominis eloquentia exhauriri possunt: quàm vt in hac tẽporis angustia euolui queant. Itaq; desino, & filiũ

Dei

Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chri-
ſtum, fontem omnis ſapientiæ oro, vt
ipſe veram perſonæ & beneficiorum
ſuorum agnitionem, & teſtamenti ſui
doctrinam in noſtris mentibus accen-
dat & obſignet, & Maieſtatem ac glo-
riam ſuam aduerſus veterum & recen-
tiorum furores tueatur & defendat.

D I X I.

BREVIS, NERVOSA, CONSTANS, ET PERPEtua ſententia ac confeſsio Catholicæ Eccleſiæ CHRISTI.



Vid ex verbi Dei Analogia, & ſummo conſenſu, piè ſentiendum, verè ſtatuendum, ſalutariter credendum, conſtanter pronunciandum, & ad gloriam Dei confitendum ſit, DE PERNECESSARIA DISTINCTIONE NATVRAE HVMANAE CORRVPTAE, ET PECCATI ORIGINIS, contra tetram, & blaſphemam Manichęorum, Operis Dei, & diaboli in homine, confuſionem; qui omnem rerum delectum & diſcrimen tollentes, totam RELIGIONEM Chriſtianam, in omnibus & ſingulis capitibus, labefactare, & ab ipſis fundamentis euertere conuellereque

C que

que, miris nituntur modis & technis: Distinctio constituenda, & sarta tecta ab omni veteri & recenti Manichæorum confusione, & CONFVSO DISCRIMINE, studiosé conseruanda, inter corruptam hominis naturam, & Peccatum originis, quo authore diabolo, & consentiente primo homine, TOTA humana natura, vnà cum omnibus suis summis, medijs, & infimis partibus, potentijs, viribus, facultatibus, proprietatibus, bonis atque ornamentis, non PHYSICE, sed THEOLOGICE, extremè corrupta, deprauata & deformata, est, qua firmissimè, & constantissimè, ex VERBO DIVINITVS reuelato, & monumentis Prophetarum & Apostolorum contento, statuimus, testamur & profitemur; aliud, non tantum à prima hominis origine, & conditione, qua nondum vllum peccatum in mundum intrauerat,

rat,

rat, ſed etiam poſt lapſum primorum parentum, eſſe & manere hominis ſubſtantiam, naturam & eſſentiam, à Deo creatam; & aliud P. O. à diabolo ortum, & inuectũ: & dextrè, iuxta idem verbum, & inde extructam Chriſtianæ fidei ANALOGIAM, diiudicantes, & diſcernenentes opus Dei, ac opus diaboli in homine: nullo quidem homine, ſed SOLO CHRISTO autore & duce; ſcriptura verò ſancta, SOLA Magiſtra, non re quidem, quantum in nobis eſt, ſed cogitationibus, & verbis, minimè arte confictis, aut ex turbidis lacunis Philoſophorum, vel Sorbonicorum Doctorum, petitis: quæ ſubitò tranſuolent animum: Sed ex diuinitus patefacto verbo deſumtis, eoque ipſo conformatis, ex SOLO, inquam, merito CHRISTI, deſtruentis potenter opus diaboli, & in integrum reſtituentis, hîc inchoatiuè, poſt modo verò, in

rò, in altera ac beata vita, perfectè & conſummatiuè, OPVS SVVM in homine, diſcriminamus, ſecernimus, & quaſi ſeparamus ac diſterminamus PECCATVM ORIGINIS, à recreatorum per & propter CHRISTVM ſubſtantia, natura & eſſentia: Quæ diſtinctio, ſecretio, & ſeparatio Peccati originis à Subſtantia, Natura & Eſſentia renouatorum, ſeu redintegratorū, in hac quidem vita à Spiritu Sancto, virtute & efficacia æterni Chriſti meriti, per verbum & Sacramenta à Chriſto inſtituta, in electis & vocatis inchoatur, ac fide ſuſcipitur, & retinetur: continuanda, perficienda & conſummanda, poſt Reſurrectionem mortuorum in illa altera beata vita: In qua non modò animæ noſtrę poſt mortem ſuperſtites, Domini Dei conſpectu, in tranquilla pace, & gaudio fruentur; verumetiam corpora noſtra, in morte

obdor-

obdormientia, & in puluere terræ putrefacta ac consumta, certo reuictura, & instaurata, ac vnà cum animabus suis, ab omni peccato & morte integrè liberata, & ab omnibus corporis mortalis sordibus defœcata, rursus domicilia animarum suarum futura sunt: ita vt, receptis IISDEM corporibus, quę mersa quidem prius letho, habebunt viuum glorificata decus; & EADEM CARNE, quam nunc circumferimus: & penitus ab omni peccato, labore, & dolore liberi: semper cum Domino victuri simus, fruentes conspectu, sapientia, luce, iustitia, & beatitudine Diuinitatis, & vicissim Deum in omni æternitate celebrantes.

Rom. 7.

Noui non habitare in me (id est, in carne mea) bonum.